UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Sev Manvale Episcoporvm Pro Decretis in Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Iesuitissae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Visual Library

grauiter, ſed fructus facit ſuos. *ibid.*

28 Præſtimonia, portiones præſtimoniales, & qualiacumq; alia beneficia cum prædictis conueniunt. *ibid.*

29 Qui penſionem habet, eodem modo obligatur pro rata, in Horis Beatæ Virginis. *ibid.*

V. Altare, numero 30. Beatorum cultus. numero 22. & ſeqq. Eccleſiæ reconciliatio. numero 13. Interdictum. numero 10. & ſeqq. Regularium iura ſub Epiſcopis. numero 27. 28. Reliquiæ SS. numero 45.

ADDITIO.

1 Commemoratio Sanctæ Mariæ debet oratio fieri in officio currenti in Eccleſiis eiuſdem nomine dicatis, etiamſi officium paruum eiuſdem recitatum fuerit, cum ibi ſit Titularis. *Cong. Rit.* 10. *Ian.* 1604.

2 Officium S. Franciſcæ Romanæ in Vrbe Roma eſt ad libitum ritu ſemiduplici. *ead.* 13. *Mart.* 1632.

Hoſpitale.

1 NOuiter fundatum ſine auctoritate Epiſcopi non ſubditur Epiſcopo. DD. apud Barboſ. *alleg.* 75. *numero* 3.

2 Si locus ab antiquo ſit in forma Eccleſiæ, vbi Sacerdotes celebrant, præſumitur auctoritate Epiſcopi fundatum, DD. *ibid. nu.* 5.

3 In dubio, præſumitur Epiſcopo ſubiectum. Sylu. *V. Hoſpitale. quæſt.* 11. *Quintum.*

4 Poteſt Epiſcopus viſitare quodcumque, niſi ſit ſub Regum immediata protectione. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 8. *& ſeſſ.* 7. *c.* 15. *& ſeſſ.* 25. *c.* 8.

5 In dubio, an ſit ſub immediata Regium protectione, cognitio cauſæ ſpectat ad Epiſcopũ. Deciſum refert Martha *de iuriſd. part.* 2. *capit.* 18. *numero* 8.

6 Vni, & eidem perſonæ adminiſtratione vltra triennium concedatur. idem *ſeſſ.* 15. *cap.* 8.

7 Niſi aliter in fundatione reperiatur. *ibidem.*

8 Si inutile reddatur, poteſt Epiſcopus cum duobus de Capitulo conuertere redditus in alium pium vſum *ibid.*

9 In laicali videat Epiſcopus ſaltem, an omnia fiant iuxta mentem fundatoris. Barb. *loc. cit. nu.* 7.

10 Procurationem non debet Epiſcopo viſitanti. Sylu. *V. Hoſpitale. qu.* 9. *Quintum.*

V. Seminarium clericorum. numero 28. 29.

Ieiunium.

1 POteſt Epiſcopus ieiunium transferre in præcedentem diem, quando illud occurrit in feſto ſolemni. Sylu. *Ieiunium. quæſt.* 7.

V. Feſti dies. nu. 15. 39. 40.

2 Item poteſt ex cauſa diſpenſare in ieiunio, & in bonum aliud compenſare. idem *ibid.*

3 Item in ieiunio ex voto. *ibid.*

ADDITIO.

Si vigilia S. Matthiæ incidat in vltimam diem Bacchanalium, poteſt Epiſcopus transferre ieiunium in præcedens Sabbatum, ne violetur ieiunium. *Dian.* 3. *p. tr.* 6. *Miſcell. reſ.* 66.

Ieſuitiſſæ.

1 NVlla eſt, & inualida ab ortu ſuo Congregatio mulierum Ieſuitiſſarum, & quatenus opus eſt, ſupprimitur, & extinguitur. Vrban. VIII. Anno 1630.*

2 Neque tenentur ad obſeruationem votorum ad inſtar ſolemnium in ea emiſſorum. *ibid.*

3 Habitent extra collegia, domoſque, vbi habitarunt; neque ſimul degant, neque ſimul conueniant ad aliquid ſpirituale, vel temporale tractandum; habitum deponant, ad eumdem aliàs nõ admittent; neque amplius eum reſumant; nec vlli earum ad hæc conſilium, auxilium, fauorem, directè, vel indirectè, aut quomodolibet præſtent; neque pro religioſis, ſeu prætenſæ Congregationis, vllo modo ſe gerant. *ibid.*

4 Sub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ reſeruatæ ſummo Pontifici. *ibid.*

5 Quæ vouere in quemcumque euentum

tum voluerunt, cum earum vota ſint ſimplicia, Ordinarijs ſubſint; cum vſu, non dominio bonorum, & cum facultate de ijs diſponendi ad vſus pios. *ibidem.*

6 Ab inteſtato ſuccedant ii, qui nõ emiſſo voto, ſucceſſuri fuiſſent. *ibid.*

7 Si nubere velint, conceditur, cum relaxatione omnium votorum de facto emiſſorum. *ibid.* melius agent, ſi Moniales fiant. *ibid.*

8 Ampliſſimis clauſulis firmatur hæc conſtitutio. *ibid.*

9 Ordinarii eam publicent, & contenta quæcumque executioni mandari curent. *ibid.*

10 Cenſuris, pœnis, & aliis remediis, & omni appellatione remota. *ibid.*

Illegitimi.

1 EXcluduntur à ſucceſſione quacumq; bonorum. Pius V. A. 1571.

2 Et à ſucceſſione bonorum patrimonialium. idem Anno 1572.

3 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo, vt obtineat beneficium ſimplex ſine cura. Sylu. *V. beneficium 3. qu. 7.*

4 Non autem Perſonatum, vel Dignitatem ſine cura. idem *ibid.*

5 Poteſt ad beneficium ſimplex, qui annexa eſt cura animarum, quando Eccleſia curata habet proprium Vicarium diuerſum ab illegitimo. idem *ibid. quæſt* 8.

6 Prædicta intellige, niſi aliud obſtet canonicum impedimentum, quam illegitimitas. *ibid. qu.* 9.

7 Neque poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo, vt plura beneficia, retineat. *ibid. qu.* 14.

8 Poteſt Epiſcopus diſpenſare ad dimidias portiones, ſeu beneficia inferior Cathedralis Eccleſiæ. DD. apud Barb. *alleg.* 45. *nu.* 23.

9 Item poteſt cum illegitimis etiam ex damnatu coitu ad minores ordines. idem *ibid. nu.* 19.

10 Item ad Canonicatus Collegiatæ Eccleſiæ. *nu.* 22.

11 Non ad Dignitates, vel Perſonatus. *numero* 29.

12 Nec in ijs, quæ requirunt ordinem ſacrum. *nu.* 30.

13 Neque conſequenter veriùs in Canonicatibus Eccleſiæ Cathedr alis. *numero* 31. Contrarium docent aliis. *ibid.* minus verè, ex iure nouo Conc. Trident.

14 Neq; ad penſiones Gigas *q.* 17.

15 Illegitimus diſpenſatus à Papa ad ſacros ordines non cenſetur diſpenſatus ad beneficium curatum. Sylu. *loc. cit. q.* 10.

16 Diſpenſatus ſuper certo beneficio non poteſt obtinere aliud ſi fuit in culpa, vt non habuerit illud. *ibid. quæſt.* 11.

17 Si non fuit in culpa, aut diſpenſatio fuit ſuper incerto beneficio, poterit aliud obtinere. *ibid.*

18 Diſpenſatus ad beneficium curatum non poteſt obtinere Dignitatem. *ibid. qu.* 12.

19 Diſpenſatus à Papa ad beneficium curatum poteſt promoueri ad beneficiũ, cui præficiendus eſt aliquis per electionem. *ibid. qu.* 16.

20 Diſpenſatus in ordine, & beneficio, & promotus non poteſt impetrare diſpenſationem ſuper pluralitate, non facta mentione illegitimitatis. idem *ibidem quæſtion.* 13.

21 Legitimatus à Principe non ideo eſt legitimatus quantum ad Eccleſiam. Sà *Filius. nu.* 11.

V. Cap. ſede vac. nu. 43. *& ſeqq.*
Familiaris Epiſcopi. nu. 14.

Imagines ſacræ.

1 OMnis tollatur abuſus, ſuperſtitio, turpis quæſtus, omnis laſciuia à ſacro imaginum vſu. Trident. *ſeſſ. de ſacr. Imag.*

2 Nihil inordinatum, præpoſterum, profanum, inhoneſtum appareat. *ibidem.*

3 Nulla inſolita imago ponatur in Eccleſia non prius approbata ab Epiſcopo. *ibid.*

4 Non patiantur Epiſcopi cauſa à ſe non cognita, & ſcripto probata, imaginem extra morem ornari, altareue ibi erigi, vota appendi, aut noui quidquam fieri. Prou. 4.

5 Neque pingantur hiſtoriæ non probatæ, Prou. 1.